



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Pulchra orandi ratio in itineribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ciendarum precum consuetudinem studiose cō-  
iunixerant. Igitur non vniuersē modo, sed ad sin-  
gulas actiones implorandę opis diuinæ adiunge-  
bat curam, neq; eam rudem, ac simplicem, sed ex-  
imiam, atq; multiplicem. Hauserat penitus om-  
nes à Petro Fabro eminētissimo huius disciplinę  
Magistro obseruatas vias; præsertimq; iis vteba-  
tur in conciliandis hominum animis, & itineri-  
bus faciendis. Nam quemadmodum qui vulgo  
ad cuiuspiam gratiam tendunt, per eius propin-  
quos, ac necessarios facile aditum sibi aperiunt,  
ita animarum Apostolicus captator agendum si-  
bi statuebat esse cum Deo, sanctaque Deipara, vt  
cum illarū parentibus: deinde cum Sanctis, apud  
quos præcipua singularum earum tutela esset, tā-  
quam cum fratribus, ac sororibus: denique cum  
Angelis cuiusq; custodibus, velut cum Pædago-  
gis, ac Magistris. Multum autem in custodibus  
hominum exorandis Angelis reponebat, quod  
multifariam ij præparare, quibuscum agendum  
est, animos; vimq; inimicorum, & oppugna-  
tiones arcere possint, ac vincere.

In habendis verò itineribus obuia quæque, vt  
sic dixerim, expiabat, & consecrabat. Nam cum

Mon-

*Et P. Petrum  
Fabrum.*

*Pulchra oran-  
di ratio in ite-  
noribus.*



Montes, plana, agri, vineæ, villæ, ac cetera huiusmodi occurrerent, Deo gratias vice, ac nomine possessorum, & incolarum agebat: eisdemq; veniam postulabat, si ipsi nescirent, negligerentūe grati esse: Eisdē postremo necessaria ad salutem, & ad suas rectè explendas partes auxilia implorabat. Eadem munera agendarum gratiarum, veniæ, & opis poscendæ, vt susciperent, supplerentque Angelos per ea loca custodes cōprecabatur. Nihilo segnius vbi primum ad oppidum, Prouinciam, aut Regnum aliquod perferretur, Præsides eorum locorum Archangelos, & clariores apud eas gentes venerabatur Sanctos; & inuocabat, vt & incolis, & sibi adesse boni, propitiique vellent, dum inibi legatione pro Deo fungeretur.

Ex hoc instituto facile conseguebatur Canisius, vt assidue inter superos magis, quam inter mortales habitaret: interq; agendas res non modo suauitas, & quidam quasi floridus pietatis succus non elanguesceret, sed etiā vireret pulchrius, & effloresceret pabulo ex actione ipsa petito, que perfectissima est Beatarum Mentium, quæ simul in ministerium humanæ salutis missæ semper vident faciem Patris, quoad humana tarditas pati-

*Totæ ei Vita  
ORATIO.*

x 3 tur,